



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

De Religione Et Actibus Illius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

ACCEPTIO PERSONARUM, qua dignior postponitur, est iniustitia mortalise genere suo; quia per eam violatur, vel iustitia commutativa, ut in iudiciis, & distributionibus beneficiorum: & officiorum per concursum; vel distributiva & fidelitas in dispensatione bonorum communitatis. Hinc juxta *Rebellum* est mortale in distributione locorum in *promotionibus Academicis* præferre minus dignum digniori, cum ista distributio fiat per oppositionem, sive concursum formalem.

REVS interrogatus, sed non iudicè, non tenetur aperire veritatem; tenetur si iudicè, id est, à iudice legitimo cum præviâ infamiâ, & semiplena probatione. Sunt tamen qui probabiliter dissentiant quando agitur de capite, & est spes evadendi; Quia præceptum de positivè dicendo vero videtur eo casu excedere vires conditionis humanæ. Certè ei licet infirmare auctoritatem accusatoris & testium, aperiendo occulta eorum crimina, fugere è carcere; ejus fores effringere; non tamen inficere vim custodibus. Ita *Theologi communius*.

DE RELIGIONE ET ACTIBUS ILLIUS.

CAPUT PRIMUM.

De Religionis virtute, Oratione, Horis Canonicis, Votis, & Religioso statu.

DE *Horis Canonicis* agitur hic infra Part. III. Tract. IV. cap. 4. de *Votis & Juramento* Tract. V. cap. II. §. 3. De *superstitione, & vitis oppositis* Tract. V. cap. I. §. 2. Hic principia, speculativa præcipuè ordine suppleuntur.

Religio est virtus quæ debitum Deo cultum exhibet. Hinc objectum ejus materiale est Dei cultus, formale hujus cultus specialis honestas.

Religionis actus elicitii sunt volitiones cultus Dei: imperati sunt, ipsi actus divini cultus, scilicet adoratio, oratio, votum, sacrificium, & similes, qui sunt objectum simul & effectus actuum elictorum quibus constituntur in esse virtutis istius speciei scilicet Religionis.

OFFICIUM DIVINUM tenentur recitare Ecclesiastici, etiam Regulares secundum ritum Breviarii Romani reformati, exceptis Ecclesiis & Conventibus in quibus constat aliud officium recitari ex consuetudine 200. annorum, quibus licet tamen Romanum assumere. Omnes etiam obligantur legere Officium Defunctorum die animarum, & Litanias die S. Marci, & triduo Rogationum; non autem legere Officium Defunctorum ut notatur in rubricis, nisi ubi id usum receptum est. Qui nulli Ecclesiæ est adscriptus, sed ordinatus Titulo patrimonii, probabilis tenetur ad ipsum Officium Romanum.

Reliqua practica de Officio sive Horis Canonicis traduntur infra Tract. 4. cap. 4. de Horis Canonicis.

VOTUM est promissio Deo facta de meliori: ad hujus valorem requiritur, 1. Voluntas se obligandi. 2. Advertentia quanta requiritur ad mortale. 3. Libertas. 4. Ea rei promissæ notitia ut non erret circa ejus substantiam, aut principale motivum. 5. Rei promissæ possibilitas, & honestas. Unde non potest esse

materia voti res mala, res indifferens, & res bona quatenus melioris impeditiva. 6. Denique in votente requiritur potestas se obligandi. Hinc vota professionis emissa ante annum ætatis 16. ipso jure sunt irrita.

Qui votet rem ab alterius voluntate sive factio dependentem, tantum tenetur, quantum in se est, procurare executionem: non tamen tenetur iste alteri æquari. Hinc liberi non obligantur votis parentum eorum Religioni offerentium. **Votum conditionale** obligat purificatâ conditione etiam turpi, non antecedenter. **Voti impletio** facienda est statim moraliter, vel juxta intentionem votentis: Si tamen quidpiam pro nullo determinato tempore absolute voteris, teneris illud exequi cum primùm commode poteris: sic tamen ut ad breve tempus illud differre non debeat mortale censeri.

Obligatio voti definit, 1. Definitione materiæ. 2. Defectu conditionis adjectæ. 3. Irritatione, id est, ablatione obligationis voti ab alterius consensu dependentis. 4. Commutatione. 5. Dispensatione. Unde potest simpliciter & directè irritare vota liberorum impuberum gubernationi familiaræ officientia, non alio, ut sunt votum castitatis, religionis &c. *Prælati regulares* potest irritare omnia vota à suis subditis emissa post professionem religiosam, excepto voto strictioris ordinis. Item, vota à suo prædecessore, imò & à seipso approbata. Non tamen vota Novitiorum, quæ suspenduntur ante professionem, per quam extinguuntur. Unde si non emittatur professio reviviscunt, nisi de vota dimissorum è Societate ante ingressum emissa.

Potestas irritandi vota subditorum, etiam convenit *Abbatissis*, cum ea potestas non sit jurisdictionis, sed gubernationis. Item, *Maritus* potest irritare vota uxoris repugnantia juri, quod habet in ejus corpus; quia in istis mulier viro est subjecta. *Pantifa* non potest irritare omnia vota Fidelium, cum eorum voluntates non habeat in omnibus sibi subjectas: Potest tamen ex justa causa cum iis dispensare in votis de facto emissis, cum sit circa res sacras supremus in terris arbiter.

Quilibet potest propria auctoritate, etiam ab ipse causa, vota sua mutare in evidentior meliora, si non sint vota reservata: Hæc etiam reservata potest mutare in votum religionis. Mutare autem in æquale, aut in minus bonum potest solus Superior: Quia talis commutatio est partialis dispensatio, quæ est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed absque aliqua causa, nec licitè, nec validè fieri potest.

Persona in cujus favorem facta est commutatio in æquale vel minus, potest, si velit, redire ad prius votum, non tamen, si propria auctoritate commutaverit in melius. **Votum reale factum uni Ecclesiæ**, & hujus nomine ab aliquo acceptatum, non potest à votente commutari in melius faciendum alteri Ecclesiæ quia prior Ecclesiæ acquisivit jus ad rem voto promissam per illam acceptationem. Si opus in quod facta est commutatio reddatur impossibile non tenetur ad prius votum redire.

Plura practica traduntur infra de VOTO Tract. V. cap. 2. §. 3.

STATUS RELIGIOSUS est status perfectionis per tria vota perpetua acquirendæ ab ecclesiâ approbatus. Ad eum requiruntur, 1. Vota substantialia, ea quæ perpetua castitatis &c. 2. Traditio sui à votente irrevocabili-

littera Superiori. 3. Approbatio Pontificis ad talem statum in Ecclesia constituendum.

Solemnitas votorum, non est de essentia Religionis. Constat hoc ex Decretis Pontificis Pauli III. Pii IV. & ipsius Tridentini approbantium Societatis institutum, ac præcipue ex Bulla Gregorii XIII. edita an. 1584. quæ incipit *Ascendente Domino*, definitentis, vota simplicia Societatis constituere verè ac propriè Religiosum, æquè ac facit professio. Quia illos, qui ea emittunt æquè ligant religioni, licet non æquè hanc illis obligent. Idem olim viguit in ordine S. Basilii, August. & Benedicti, quod doctè probat *Basilii P. nrius* Augustinianus l. 7. de *Matrim. à C. 12. ad 22.* ubi dicit temporibus Apostolorum omnes Religiones solis votis simplicibus constituisse, & Religiosos votis solutis à suis Prælatiis dimitti potuisse, ut sit in Societate, cujus proinde instituti modus non est novus in Ecclesia.

Illam autem *solemnitas* voti religiosi, consistit in forma quadam fovendi ab Ecclesia præscripta, & reddita efficaci ad varios effectus morales, qui sunt, 1. Voventem adstringere religioni, vinculo utrimque insolubili. 2. Inhabilitare ad matrimonium subsequens, & præcedens ratum dirimere. 3. Reddere incapacem omnis Domini. 4. Solvere cætera vota simplicia. Ex *jure Cap. Scriptura 4. de voto.*

Professio ipsa Religiosa, est emissio voti solemnitis in Religione approbata. Ad ejus valorem requiritur, 1. *Ætas* 16. annorum ex Trid. 2. Annus probationis integer. 3. Libertas à coactione, fraude &c. 4. Animus profitendi. 5. Consensus Superioris. 6. Ut profitens sit sui juris, liber, &c. Eadem requiruntur ad valorem votorum *simplicium* Societatis.

Qui emisit professionem invalidam potest juxta *Trid. Sess. 15. c. 10.* reclamare intra quinquennium à die professionis, non post, nisi prius defuerit reclamandi potestas. Professio Religiosa ex Declaratione varia, delet omnia peccata ante commissa quoad pœnam, quod extenditur ad vota simplicia Societatis: De quo *Salus Suarez de Relig. Pellicariis &c.*

Pontifex dispensare potest in voto solemniti castitatis Religiosæ, quia tota vis & solemnitas quam habet professio, est ab Ecclesia. Patet 1. ex Bonifacio VIII. & ex Bulla Gregorii XIII. 2. Quia Pontifices in hoc voto sæpe dispensarunt, ut cum Ramiro Rege Aragonie monacho alisque apud Lessium, Malder. &c. & recentius cum Duce de *Joicense* Capucino. Non potest tamen dispensare cum monacho in sensu composito, quod solum volunt *Innocentius III. Cap. cum ad monasterium* de statu Monachorum, & alii doctores rem Deo consecratam non posse defacrar. *Charakter Sacerdotalis* est indelebilis, & ideo initiatus Sacerdotio auctoritate Pontifici fieri nequit ex Sacerdote non Sacerdos. Ita ex Theologis Societatis, aliisque docent plurimi de voto solemniti, Contra *Sotum, Capreolum, Sylvestrum, Estium, Sylvium, & alios favente his ut videtur D. Thoma Quæst. 189. Art. 3.*

Per votum *Obedientia* Religiosus obligatur, 1. Ad servandam Regulam in sua religione receptam. 2. Ad obediendum Superiori, & quidem sub mortali dum utitur his terminis; præcipio tibi in nomine Domini, in virtute S. Obedientie, aut similibus. In dubio præsumptio stat pro Superiore, adeoque illi obediendum est.

Per votum *Castitatis* tenetur abstinere ab omni a-

ctu castitati repugnante, idque sub mortali ex vi voti. Per votum *Paupertatis* tenetur nihil habere, & absumere, etiam extra suum monasterium, tamquam proprium, seu independentè à Superiore, & hoc etiam sub mortali peccato Sacrilegii in materia gravi. Per se loquendo, illud censetur grave in materia voti, quod est grave in materia furti. Varia repugnant paupertati in una Religione, quæ non in aliis, pro consuetudinum varietate. Religiosi professi successiones in hæreditates jure communi sunt incapaces, & monasteria eorum nomine ex jure Belgico.

Plura præctica traduntur infra DE VOTO Tract. V. Cap. II. §. 3.

CAPUT II.

De Beneficii Ecclesiastici Natura, Acquisitione, amissione, Dominio, &c.

ECCLESIASTICUM BENEFICIUM definitur, ejus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesie, propter aliquod officium spirituale auctoritate Ecclesie constitutum. Unde ejus defectu Castellorum capellania non sunt Beneficia, nec, per se loquendo, obligant ad Horas. *Seculare* beneficium est, quod secularibus, *Regulare* quod regularibus ex sua institutione confertur, unde nec *Seculare* Regularibus, nec contra confertur potest absque dispensatione: in dubio præsumitur *Seculare*. *Simplex* dicitur, quod nullam habet præminentiam, nec jurisdictionem, ut *Canonicatus*: *Duplex* quod hæc omnia aut eorum aliquid habet, ut *Papatus, Episcopatus* &c. *Titulare* quod in Titulum perpetuum confertur, unde non potest auferri absque gravi causa, tale ferè est quodlibet beneficium *seculare*.

Olim Clerici per modum unius communitatis simul in communi vivebant sub Episcopo sibi, & singulis necessaria distribuent: unde tunc nullum habeant Dominium redituum sui Beneficii. Nunc habent Dominium bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium, id est, acquisitionum tamquam stipendium celebrationis &c. item illius partis proventuum sui Beneficii, quæ ipsis est necessaria ad honestam sustentationem. Probabilius videtur eos etiam esse Dominos partis *superflue*, cum jura absolute eis tribuant dominium fructuum sui Beneficii, nihil distinguendo inter partem necessariam & non necessariam. Deinde, Pars illa non est quoad Dominium, Ecclesie in communi, nec Pauperum; ergo Beneficiorum. Ita recentiores communiter, *Sotus, Covarr. Azor, Molina, Lessius, Sylvius, Wigers, Malderus*, Contra plures *Canonistas* & Theologos antiquiores.

Clerici tamen *Beneficiati* obligantur sub mortali partem fructuum congruè sustentationi superfluum Pii causis applicare; non tamen ex Justitiâ, sed ex Charitate, & obedientia, ex qua non oritur obligatio restitutionis in Beneficiatis de ea aliter disponentibus, nec in eorum hæreditibus: Quia ejusmodi obligationem Ecclesia numquam declaravit, nec imponenda est, nisi de ea constet, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Unde cum Concilia & PP. dicunt bona Ecclesiastica esse res Dei, Patrimonium Christi, &c. loquuntur de illis ante eorum divisionem,

vide
kin

theo
logia
P. II

nem, & de immobilibus, & mobilibus quæ sunt Ecclesiæ in communi, ut sunt vasa argentea, &c. Cum vero S. Augustinus, Hier. alii PP. expressè dicunt, Clericos esse fures aut Sacrilegos si illis ultra necessitatem utantur, vel loquuntur de obligatione charitatis ad usus Pios, vel per exaggerationem, qualiter S. Hier. loquitur etiam de Secularibus elemosynas non erogantibus. *Ita plurimi hic apud Dianam, & favet D. Thomas* Quæst. 185. Art. 7.

Ecclesiastica bona immobilia, & mobilia pretiosa, alienari non possunt sine iusta causa, & solemnitate. Causa iusta huiusmodi alienationis sunt, 1. Urgens necessitas. 2. Pietas. 3. Evidens utilitas. Solemnitas ad eus valorem requisita consistit in his, 1. Debet eâ de re tractatus fieri in Capitulo. 2. Debet accedere consensus majoris partis Capituli. 3. Debet intervenire consensus Episcopi, vel Pontificis, ac Regis, quibus deficientibus invalida est etiam in foro externo, nisi sit res modica, ac pertinens ad mensam Prælati, qui absque solemnitate potest alienare mobilia non pretiosa, & renunciare juribus acquirendis, non tamen acquisitis. Papa non potest prohibere alienare bona Ecclesiæ, cum non sit eorum Dominus, sed solum administrator. Ita ex variis Juris Canonibus deducit prædicta Lessius, Layman, alique.

Si Beneficiatus omittat Horas Canonicas post 6. menses à possessione, tenetur ad restitutionem, secus si ante: Tunc tamen peccat mortaliter contra Religionem, non contra Iustitiam; Quia non videntur fundatores voluisse obligare sub tanto onere. Horas negligens per 6. menses à possessione, Beneficio privandus est: Habens plura Beneficia ad horas seorsim sufficientia plura peccata committit, & tenetur ad restitutionem fructuum, pro rata temporis, fabricæ, vel pauperibus loci faciendam: Potest tamen sibi retinere partem proportionatam officiis non omittis, v. gr. Sacramenta ministrandi, Beneficio annexis, præsentia in Choro &c. Ita hic docet Layman, alique.

Residentia, est assiduitas commorationis in loco beneficii animo præstandi alicujus servitii Ecclesiastici. Ad eam tenentur habentes curam animarum ex præcepto divino à Pontifice indispensabili: Possunt tamen ex causa Episcopi singulis annis abesse ad 3. menses, non ultra, aliâ per se loquendo, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem: Parochi verò per duos, Canonici possunt abesse per tres menses, sic tamen ut distributiones non faciant suas. Privantur si absint diutius, primo anno dimidiâ parte fructuum: Secundo omnibus istius anni fructibus. Omnia beneficia de jure communi ad residentiam obligant, sunt tamen quedam ex fundatione aut consuetudine libera ab ista obligatione. Colliguntur prædicta ex Trident. Sess. 24. Cap. 12. aliisque.

Beneficia acquiruntur 6. modis, 1. Præsentatione & institutione: Præsentatio etiam à Laicis fieri potest & confert jus ad rem; institutio à solis Ecclesiasticis. 2. Electione quæ propriè locum habet in Prælaturis, & parit jus ad rem. 3. Postulatione, ad quam consentire debent duæ partes tertiæ: non tribuit jus ad rem, adeoque est revocabilis: & Confirmatione, quæ est beneficii collatio in eum, qui electus, vel postulatus est. 4. Collatione libera, id est, quæ procedit ex mero conferentis arbitrio. 5. Resignatione in favorem secuta collatione. 6. Permutatione, dum accedit Superioris approbatio.

Jus Patronatus est jus præsentandi aliquem ad beneficium vacans; tribus modis acquiritur, 1. Fundatione, seu donatione fundi, in quo ædificata est Ecclesia. 2. Eiusdem ædificatione. 3. Donatione ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ. Ex his Titulis, possunt ejusdem beneficii plures esse Patroni, qui conveniant de præsentatione alternatim faciendâ. Tituli illi rectè exprimuntur hoc versiculo.

Patronum faciunt, jus, ædificatio, fundus.

Patronatus Ecclesiasticus convenit personæ Ecclesiasticæ, Laicus personæ laicæ. *Jura Patroni sunt, 1. Præsentandi. 2. Honoris in processionibus. 3. Defensionis Ecclesiæ. 4. Alimentorum in casu inopie. Transferuntur hoc jus, 1. Successione hereditariâ. 2. Donatione. 3. Permutatione. 4. Venditione Domini cui annexum est jus patronatus.*

Episcopus est *ordinarius collator* omnium beneficiorum suæ diocesis, tam patronatorum, quam liberorum; sæpe tamen ex privilegio hoc jus competit aliis. *Pontifex* verò cum sit supremus Princeps & dispensator bonorum Ecclesiasticorum, est collator omnium Beneficiorum tribus modis, 1. Jure preventionis, id est, quando alicui confert gratiam expectativam ad Beneficium primò vacaturum. 2. Jure concursus, id est, quando confert aliquod Beneficium vacans, etiam nullâ interveniente Ordinarii negligentia. 3. Jure devolutionis, id est, quando ex juris dispensatione ob aliquam collatorum culpam jus conferendi ad Papam devolvitur. Rarò jure illo concursus vitur Pontifex, ad vitandam confusionem; sed ejus loco in variis Ecclesiis sibi servavit certos menses, ceteri Ordinarii relicti.

Capitulum regulare, & seculare, seclusis censuræ impedimentis, habent jus electionis, in qua servanda est forma Canonica, juxta quam vocandi sunt habentes jus eligendi etiam absentes, præsentium qui ob justam causam accedere non possunt, eligendum est suffragium.

Tribus modis fieri potest electio, 1. Per scrutinium, id est, collectionem suffragiorum, in qua necesse est ut major ac sanior Pars Capituli in eundem consentiat. 2. Per compromissum, id est, per potestatem eligendi uni vel pluribus commissam à Capitularibus. 3. Quasi per divinam inspirationem.

Ad capacitatem beneficii requiritur, 1. Thorus legitimus. 2. Clericatus. 3. Ætas competens. 4. Celibatus. 5. Libertas à censuris. 6. Probitas, scientia &c. Dispensatio Pontificis illegitimos reddit capaces cæcivis Beneficii. Episcopus solum potest cum illis dispensare ad minores ordines, & ad Beneficia simplicia, quibus non est annexus ordo Sacer. Constant hæc ex juriis dispositione, De quibus nos plura supra Tomo II. Part. III. Tract. I. in fine, circa Ecclesiastica Munia, Beneficia, &c.

Clericatus seu *primatonsura* est necessaria, sic ut si deficiente collatio Beneficii sit nulla. Ordo quem Beneficium ex suâ institutione requirit, debet suscipi intra annum, quod si beneficiatus omittat, peccabit mortaliter, poteritque ab Ordinario privari Beneficio. Ad *Episcopatum* requiruntur, 1. Ætatis anni 30. 2. Subdiaconatus. 3. Ut eo suscepto intra tres menses fiat consecratio, sub poena jacturæ fructuum & Episcopatus, si ultra tres alios menses negligatur. Ad *Abbatiam, Decanatum*, & similes dignitates requiruntur anni 25. saltem inchoati, uti ad Beneficium

etiam parochiale. Ad Beneficia *simplicia* requiritur Annus 14. saltem inchoatus: & ad Canonicatum Ecclesie Cathedralis ordo sacer, & annus 21. Ut *Monialis* sit capax Abbatie requiritur ut habeat annos etatis 40. & 8. annis a professione in monasterio laudabiliter se gesserit. Ipso jure vacant Beneficia per *matrimonium* valide contractum, & per *professionem*, id est, per vota religiosum constituenta: Unde eorum resignatio ante finem Novitatus ritè facienda est.

Quaestiones alia circa acquisitionem, amissionem, permutationem BENEFICII Ecclesiastici, traduntur in hoc Opere infra Tomo II. Part. III. Tract. I. & precedentibus. De SIMONIA circa Beneficia Ecclesiastica, & alias res sacras agitur ex professo hujus Operis Tomo II. Part. III. Tract. V. Cap. 12. in fine.

Hareses & Errores.

Contra hanc Secundam Secundae Theologiae partem, recensentur cum suis Auctoribus, ac Refutatione, in fine Tomi I. hujus Operis sub hoc Titulo, *Notitia Generalis Dogmatum ab Ecclesia Damnatorum*, ordine Alphabeticò, sub his Titulis in particulari. *Concilium, Fides, Deus, Christus, Ecclesia, Evangelium, Apostoli, Haereticus, Papa, Sacerdotium, Scriptura sacra, &c.*

Item, de Fide, Spe, Charitate supra Part. II. pag. 144. Item, de Justitia &c. in Titulis *Bellum, Inimicus, Injuria, Index, Juramentum, Lex, Mendacium, Occisio, Restitutio, Simonia, Tyrannus, Usura*, supra in *Notitia Generali* inchoanti pag. 144.

Item, de Jure & Injuria, supra Part. II. pag. 140.

Isde
Kin

theo
logia

TERTIÆ PARTIS PARS PRIMA

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

§. I.

Incarnationis convenientia, necessitas, effectus, proprietates &c.

DE hoc *Incarnationis* mysterio, Querit D. Thomas in summa Part. 3. Art. 1. *An fuerit conveniens verbum divinum incarnari?* Respondet affirmativè, uti & alii Theologi. Quia per Deum in carne visibilem cognoscuntur attributa divina per se alias invisibilia, v. g. Dei bonitas, justitia, sapientia, &c.

Neque dicas assumendo naturam humanam assumi etiam ejus imperfectiones, adeoque peccabilitatem.

Resp. enim, posse assumi imperfectionem sive malum pœnæ, non assumendo malum culpæ, cum culpa à malo pœnæ separabilis sit, & Dei infinitæ sanctitati repugnet.

Querit idem art. 2. *An necessarium fuerit Verbum Divinum incarnari?*

Resp. Non fuisse necessarium *simpliciter*. Quia potuit alius viis ac modis Deus finem suum assequi, fuit tamen necessarium *secundum quid*, scil. ut melius eum assequeretur, ad fidem, spem, charitatem, sui que communicationem, & malorum remotionem. An sine peccato originali Verbum incarnatum fuisset, infra dicemus.

Purus homo non potuit satisfacere pro tota natura humana. Quia peccatum est malitiæ infinite.

Querit art. 4. *An incarnatio facta sit principaliter ad delendum peccatum originale, an ad delendum peccata actualia?*

Resp. Ad originale principaliter, quia peccatum illud est majus *extensive*, scil. ad omnes; quamvis actualiale sit majus *intensive*, quia est magis voluntarium, utpote propria singulorum peccantium voluntate commissum.

Querit art. 8. *An Unio Verbi sit idem quod assumptio?*

Resp. negativè. Quia natura divina rectè dicitur unita, non tamen assumpta. Nam unio importat relationem, sed assumptio denotat actionem vel passionem.

Hinc Pater & Spiritus Sanctus uniunt, sed non assumunt, Filius unit, & assumit. Item, Natura Divina est unita, non tamen assumpta.

Queritur ulterius. An unio Verbi divini ad humanitatem, facta sit in Natura sive essentia, an in Persona divina?

Respondent cum D. Thoma *Quest. 2. Art. 2.* Theologi, factam non esse in Natura; sed in Persona. Quia Natura significat essentiam speciei, Persona totum habens naturam tamquam partem formalem, & sui perfectivam: ideoque ad hanc dicitur immediate facta unio hypostatica, unaque esse in Christo persona, unumque suppositum.

Persona, hypostasis, subsistentia non distinguuntur conceptu intrinseco, sed tantum connotato.

Assumi potuit à Verbo hypostaticè natura Angelica. Item, natura irrationalis v. gr. leonis assumi potuit in unitatem suppositi, etsi ea non videret Deum. Potuerunt etiam assumi duæ humanitates, aut una humanitas cum natura Angelica. Non ideo tamen necessariò dicerentur illæ duo homines, sed unus cum duplici humanitate, uti docent Theologi communiter.

Non potest hypostaticè assumi natura habens, & simul retinens propriam subsistentiam, uti nec ab humanitate Christi ea retinetur.

Quoad *Meritum Incarnationis*. Nec humanitas Christi, nec ipse Christus de facto illam meruit, etsi absolute potuit per opera subsequenta. Nec Patres eam meriti sunt, aut potuerunt mereri de condigno: quamvis poterant mereri de congruo illius circumstantias ut fieret tali tempore &c.

Virgo etiam *Deipara* non meruit de condigno, sed tantum de congruo *maternitatem* Christi. Ita de merito communiter Theologi.

Quoad *Gratiam in Christo*. Fuit in illo gratia habitualis, & ejusdem speciei cum gratia nostra. Illa de lege ordinaria magis augeri non potuit: quamvis potuerit absolute. Ex vi istius gratiæ non potuit Christus dici filius Dei Adoptivus: quia non erat Persona divinitati extranea, quod requirit ratio adoptionis.

Fides